ADSPIRANTE FLAMINE AETERNO.

NAKIR ARABUM, ſeu FLATUS AMBULATIVUS,

Publicè & Solenniter eventilandus,

Authoritate Ampliſſimi & Excellentiſſimi Medicorum Collegij, quod eſt in celeberrimo Trebocenſium Athenæo, permittente,

Pro impetrandis legitimè honoribus & privilegijs in Medicina Doctoralibus,

ptoponitur

à

JOHANNE MATTHAEO FABRO, Auguſtano.

Die 13 Menſis Julii.

Horis & loco conſuetis.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.
M. DC. LIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30762820

Theſis I.

Prolegomena.

In eſt ſua cuique vis: multis Natura ſpeciem roboris ademit, non robur. Auram cogita, rerum leviſſimum,

— — — — Fugit illa quas illa puelli,
Muſtea forte manus cava cum crepitacula miſcet.

Non eſt culex ignobilis, qui non ſuſurum levi pinnularum verbere ei exprimat, non eſt res alia uſque adeò exigua, cui aura non cedat. Aura: cujus vi, ipſo matris umbilico altè radicatæ arbores eruuntur funditus, quâ inſtante turrium ſuperba nictant ſupercilia, deijciuntur, ſuis tumulantur tumulis; Ad cujus tormina, rictu aperto, ingemiſcit Orbis, tremit terra, mare fugit. Ventorum (titulo auræ mutato non eſſentiâ) ea fuit apud Gentiles ſive formido, ſive reverentia, ut pro *a* Dijs eos habuerint, teſtantur apud Ciceronem Anaximenes, & Diogenes Apolliniates. Quantus ijſdem fuerit *b* Æolus, quis ignorat? Et quid tandem? *c* Quis collegit ventum in pugillis ſuis? Res eſt omnibus obvia & palpabilis, minimè tamen comprehenſibilis. Sanè prudenti candore Conimbriæ Doctores, cum de Ariſtotelis & cæterorũ Philoſophorum ſententijs, ſive approbandis, ſive reprobandis, diſſeruiſſent, ſe Scaligeri Vulpeculæ ſimiles fatentur, adducendo ſignificantiſſimum & non ſine emphaſi identidem repetitum SS. Scripturæ Apophthegma: Deum eſſe, qui ventum producat, *d* מאוצרותיו *de theſauris ſuis*, h. e. locis, & ſcaturigine nobis plane incognitis; & qui propterea non ſuſcitans tantùm, faciens, producens, ſed etiam *e* בורא רוח *creans Ventum* dicitur Prophetæ Amos.

Hinc Cabaliſtica Hebræorum Philoſophia, ſive Moſaica, quicquid eventuum eſt per orbem, quicquid, ſeu felicitatum, ſeu adverſitatum ſuccedit, in Ventorum cardinibus collocat: his ſuas Intelligentias, Emanationes, Portas &c. tribuit, arreptis paſſim S. Codicis verbis & ad id propoſitum applicatis, quod prolixè & multis Tomis

a *Homer. Odyſſ. l. α. Virg. AEneid. l.* 1.
b *Ioh. Wilhel. Stuk. de Sacris & ſacrif. Gentil. Natal. com. Mythol. lib.* 5. *cap.* 10.
c *Prov.* 30. 4.
d *Pſal.* 135. v. 7. *Ierem.* 10. v. 13. & c. 51. v. 16.
e *Amos.* 4. v. 13.

præter alios complures tradidit Judæus converſus *a* Robertus Fludd à Fluctibus.

a Rob. Fludd à Fluctib. Phil. Moſaic. & Medic. Catholica.

II. Solertiſſimus *b* Plinius, cæteroquin in adſtruendis rerum cauſis non minus audax, quam in perveſtigandâ Naturâ laborioſus, cum de Ventorum origine eſſet dicendum, vah! quam non patitur vertiginem? Venti, inquit, ſive aſſiduo Mundi incitu, & contrario ſiderum occurſu naſcuntur, ſive hic eſt generabilis ille rerum Naturæ ſpiritus, huc illuc, tanquam in utero aliquo vagus, ſive diſparili errantium ſiderum ictu flagellatus aër, ſive radiorum jactus multiformis, ſive à ſuis ſideribus exeunt his propioribus, ſive à cœlo affixis cadunt, palàm tamen eſt illud quoque, Naturæ legem haberi quidem non incognitam, attamen nec percognitam. Res, ſanè, tantò admiranda magis, quanto minus explicanda, tantoque formidabilior, quanto inperſcrutabilior.

b Plin. de hiſt. Mundi c. 45.

III. Sed quid admirabimur? ut ſcrutabimur? cur reformidabimus quod terret eminus? Miſeri! nunquid eundem nobiſcum intra viſcera circumferimus inquilinum? eundem non ſine rigore, horrore, tremore, gemitu ſentimus, audimus, palpamus paſſim ſævientem, immo ſæpe internecino impetu vitæ regiam occupantem. Ineptè *c* ergo mare refugit qui ſtillicidio perire poteſt; Mare extimeſcat, & ne æſtus majore quam ſolet curſu plus aquarum trahens ſuperveniat, quem potio male lapſa per fauces ſtrangulaverit? Heraclium *d* Imperatorem aquis periturum prædixit Vates; Vitavit Mare, fluvios horruit, fontes obruit, tandem periit Hydrope. Nihilo prudentiùs cavent Mortales, ne quem turbulentus aer ſaxo allidat, ne ſævus diſcerpat Ecnephias, ne Typhone tollantur ad fulminum nidos, ne Præſter adurat, Utres heu miſeri! flatu modico crepaturi.

c Senec. Nat. Qu. l. 6. c. 2.
d Ioh. Heidf. Spinx. c. 39.

Propoſitio.

IV. Agedum: mittamus ergo, quos carere remedio Natura voluit labores Æolios: vertamur intra penetralia propria, ibi, quid FLATULENTUS *furiat* AMBULO, quo lateat antro, quorſum excurrat, quibus feratur alis, quâ potentiâ, quo ſatellitio polleat, perveſtigemus, hoſtem tam validum vi & ingenio poſſibili propulſuri.

V. Eſt autem quædam Ventoſitatis in Microcoſmo ſpecies (quā hoc loco tractare libuit) erratica, toto corpore humano circumambulans, de qua Albucaſis Arabs: *e In terra noſtra Ægritudo quædam eſt, NAKIR appellatur, & eſt dolor qui accidit in quibusdam membris, ut hujus morbi ego exemplum vidi tale: Vocatus ſum ad mulierem quan-*

e Albuc. l. 2. cap. 93. Meth. Med.

dam infirmam, in quadam villa, & detexit brachium ſuum, & vidi inflationem parvam in vena brachij. Poſt horam unam, vidi prorepere inflationem illam, ſicut repit vermis, aſcendendo ad humerum, celeriùs quam credi poteſt, & movebatur, ſicut argentum vivum currit de loco in locum. Succeſſit ergo dolor ex loco ubi prius doluerat, & fixus eſt in humero. Deinde, ut narravit mihi, revolvebatur in toto corpore, quemadmodum & ego facile deprehendere potui. Miratus ſum ego velocitatem decurſionis ejus de membro ad membrum. Et ego quidem antea nunquam videram hanc Ægritudinem, quæ eſſet, qualis in hac Muliere. Hæc Albucaſis.

V I. Sennertus *a* obiter hunc affectum ſtringit, ac Latine *Flatum Furioſum* reddit, ut & Marcellus Donatus *b* Medicus Mantuanus, ſub titulo proprio. Apud Exc. Petrum à Caſtro, *c* Medicum Veronenſem Celeberrimum, & noſtrum, in Praxi Medica Ὁδηγήτην meritiſſimum, tractatu de Igne Lambente, omnimodâ eruditione referto, eleganter *Ambulo Furioſus* dicitur. Inter Germanos utique à motu nomen ſortitus eſt, die Ratten / eò quod *Gliris* vel *Muris* inſtar ſub cute diſcurrat, multis etiam incantamenti loco id habentibus, & per Magicas impoſturas Animalia illa corpus intraſſe credentibus. Plura ejus cognomina refert Wierius *d* & Sennert. loc. allegat.

Nos omiſſo ulteriori verborum examine, quicquid eſt ambigui, à noſtro propoſito ſeparamus, tractatione ejus reali, & primo quidem Definitione, quâ

V I I. NAKIR ſeu FLATUS FURIOSUS *eſt ſpirituoſa ſubtiliſſima & vehementiſſima exhalatio, vi caloris moderati in humido idoneo excitata, certis temporib. invadens, totoque corpore humano oberrans.*

V I I I. Ponimus pro Definiti Genere, *Exhalationem*, nimirum ex certa ſua & idonea Materia. Graviſſimus Seneca *e* cum de ventorum Natura, ortu & motu differeret, Illa, inquit, vera & valentior ſententia eſt; habere Aëra naturalem vim movendi ſe, nec aliunde concipere, ſed ineſſe illi, ut aliarum rerum, ita hujus potentiam. Placitum potius, quam Ratiocinium, & ex Platonico illo Mundi ſpiritu facile ortũ, aut (quorum haud rudis fuiſſe creditur) ex Rabbinorũ *f* de Anima Meſſiæ, Angelo Moſis, Intelligentia Magna, מיטטרון Principe facierum, pari figmento. Nos aſſertionem Senecæ de inſita vi motrice aëris, ex ipſo eodem Authore revellimus, qui alibi, aëris motum, cum motu aquæ idem habere principium & rationem aſſerit, cum tamen hæc ipſa, modò quietis locum nanſciſcatur, plane ſit immobilis.

a *Senn. de Arthrit. Qu.* 6.
b *Marc. Donat. de Hiſtor. Med. Mirab. l.* 1. *c.* 6.
Ὀνομαλολογία.
c *Pet. à Caſt. Ign. Lamb. p.* 1. *cap.* 5.
Paul. Virdung. Diſput. Inaugurali Baſilea. N. 1. *Decad.* 2.
d *VVierius Libello Germ. de Morbis Incognit.*
Definitio.
Ἐξεργασία.
Genus Definiti.
e *Senec. Qu. Nat. l.* 5. *c.* 5.
f *MS. Rabb. antiq.*

IX. Hinc verò à Mundo explicato & & latipatente, ad Parvam ejus Idæam ratione deductâ, nullam ſpontaneam aëreæ ſubſtantiæ in corpore humano commotionem, ſed Exhalationem, à cauſis infra dicendis, profectam, & hinc inde vagantem agnoſcimus. Eam autem ſubtiliſſimam eſſe oportet, ut penetret, vehementiſſimam, ut celeriter.

X. Neque etiam putari debet, à ſpiritibus, qui corpori noſtro naturaliter inſunt, bene habentibus, oberrationes iſtas ſurgere, hos enim ut motu carere non adſtruimus, ſic malè conſtitutos, flatuum furijs impetum addere poſſe, largimur.

Φυσιολογία.

XI. Naturam Morbi perveſtigans, tria inde colliget, quibus ejus hiſtoriam omnino comprehendet, *Subtilitatem, Velocitatem* & *Periodum*. Baſis eſt *Subtilitas*; quâ ſeparatur à pigris illis ἐμφυσήμασι ſub cutaneis, numero plurimis & creberrimis, quæ aut lentè admodum, aut plane nihil moventur, ab illis quoque, quæ corpore quidem oberrant, locis tamen his quibus via plana eſt & facilis, unde ſemel dilapſi, evaneſcunt.

XII. Ex Subtilitate oritur *Velocitas*; Eſt enim aër, & quicquid de Natura ejus participat, minimè terminis alienis comprehenſibilis, quoque eſt ſubtilior, eò magis motu gaudet, & minùs à corporum objectorum compagibus retinetur.

Subtilitatem & Velocitatem *Periodus* ſequitur. Conabimur totum negotium demonſtratione Phyſicâ ὀφθαλμοφανερῶς declarare.

Demonſtratio.

XIII. Immergatur vaſi aqua pleno, mica panis calida: illa ut eſt Atomis aëreis repleta, (quæ à calore impelluntur & quaqua viâ exhalare tentant) in bullas paſſim aërem colliget. Hæ bullæ cum in aliquem ambitum vel magnitudinem concreverint, relicto ebullitionis loco emicant, & vel lateribus vaſis vel aquæ ſuperficiei innatant. Licet autem ſpumam omnem demas, bullâ nec unica relictâ, nova tamen ſubinde emerget, quousque aëreum nihil ſub aqua contineatur. En præter ventoſitatis locum, præter cauſam moventem, aërei corporis *Subtilitatem*, motus *Velocitatem*, en & *Periodos*. Tam diu enim aër intra matricem ſuam retinetur, donec vires erumpendi colligat, quo facto erumpit, & ob ſubtilitatem dilabitur, ſicq; non continuum motum, ut indiviſum, ſed interruptum & Periodicum efficit, novâ nimirum bullâ ſubinde collectâ. Inde etiam eſt, ut periodos obſervet non adeo ordinatas, easque temporis potiſſimum duratione ſponte mutet.

14. In-

XIV. Invadit autem, cum in principio eſt, & Idiopaticus affectus, diebus aliquot, vel etiam ſeptimamis interpoſitis, in ſtatu quotidie, immo frequentiùs, in decremento paulatim remittit, & longo intervallo aliquando recurrit, donec penitus expiraverit. Multoties, *ἀτάξως* planè, more febrium erraticarum exacerbatur, ut nullum incrementi vel decrementi tempus ferè ſentiatur.

XV. Tranſeamus autem ad *Partis Affectæ* diſquiſitionem. Ponimus in Definitione totum corpus, tanquam *Subjectum Diſtributionis*, cum *Radicationis Subjectum* nimis ſit varium, & vix determinandum. Ita nimirum aliquando debilitate Hepatis, ſanguinem pravum generantis, aliquando veſiculæ felleæ exundantis, modò Lienis obſtructi, & humoribus lentis infarcti, vel Uteri minus decenter purgati vitio, &c. ventoſitas in ijs partibus ſuſcitatur, ac poſtmodum inde, tanquam Graſſator emiſſarius, per cæteras partes evagatur. Pars Affecta.

XVI. Magnam partem mali ſedes eſt ventriculus, cruditatibus repletus, debilitatus, refrigeratus, quo fit, ut, quod Natura concoquere non poteſt, macerando ſubinde, partim in vapores reſolvat, partim in fæces inutiles, obſtructionum materiam primam, compingat. Magna etiam vel mater morbi, vel nutrix eſt Hypochondriorum *a* labyrintus, officina omnino idonea, ubi

Æolus impacto ventorum turbine regnet,

cum nimirum ſanguis pigrior nec corrigitur, nec, ut deberet excernitur ductibus vel hæmorrhoidalibus aut uterinis.

a *Sennert. Prax. Med. l.3. p.5. ſect. 1. c.4.*

XVII. Marcellus *b* Donatus plurimùm laborat in Authorum ſententijs cum Albucaſi conciliandis, utrum nimirum ejus verba (*flatus per venas deferri*) ita ſint intelligenda, quaſi in venis ipſis generentur, & decurrant: utrum verò eos per ſuperficiem tantum, & ſecundum rectitudinem venarnm moveri velit? non adeò neceſſario forſan labore. Extra vaſa enim vagari flatûs furiam, palpabile eſt: intra ea manifeſtè utique movetur, adeò, ut etiam *ψευδοσφυγμὸν* in venis, & agitationem pulſui arteriarum ſimilem efficiat, in ipſis vero arterijs, mirificas perturbationes ſuſcitet. Et hoc eò faciliùs conſequitur, quò & focum generationi, & locum excurſioni aptiorem invenit, ſecus quam in reliquo corpore, ubi partes quidem complures ejus generationem plane recuſant, nonnullæ etiam tranſitum difficillimè admittunt. Per rariores enim licet prompta eſt penetratio, per ſolidiores tamen difficilis, & tarda etſi non omnino nulla.

b *Marcell. Donat. de Hiſt. Med. Mirab. l.1. c. 6.*

18. Un-

a *Gal. ad Glauc. l. 2. c. 6. & 12. Ioh. Fien. de flat. c. 10.*

XVIII. Unde cum Galeno *a* Fienus, admirabilis eſt adeò flatuum poteſtas, ait, ut, tanquam fulmen quoddam, per inſenſiles ductus, in abſtruſas quaſcunque latebras ſe inſinuent, *Oſſa ipſa pervadant*, & intimas medullas, magna cum moleſtia affligant. Sunt qui inter os & perioſtium ſubrepant, hoc magno conatu divellant, & diſtenſionis ſenſum magno cum dolore inferant. Hinc multorum querimoniæ, de crurum, tibiarumque vehementibus per intervalla moleſtiis cum nulla extrinſecus intemperies, nullus tumor, nullus denique, dum comprimitur, dolor obſervetur: quod exitiali ſuo malo experiuntur Syphilidis inſultu ſeveriori correpti, quorum medullæ non tantùm à virulentiſſimis halitibus aſſantur, uruntur, in favillas rediguntur, ſed & oſſa ipſa, veluti crudeli vapotario calcinata, in levem cariem abeunt.

b *Marc. Aurel. Severin. de recond. Abſceſſ. Natur. l. 5.*

XIX. Hinc adeò à veritate alienum haud eſſe videtur, ſæviſſimum illum, & raræ notæ Puerorum Tortorem (quem tamen etiam in adultis bis Patavij vidimus, medentibus Celebratiſſimis Profeſſoribus & Chirurgis, Petro & Dominico de Marchettis) *Pædarthrocacem* à Severino *b* appellatum, ab Antiquis *Spinam Ventoſam*, ſive *Ventoſitatem Spinæ* dici ſolitam eſſe, ſentientibus forſan, non ab humoribus tantùm acribus, ſed Virulentâ potius Exhalatione, *Spinæ*, inſtar oſſium ſubſtantiæ impactâ, ea corrodi, & ægrum ingenti cum dolore confici.

XX. Et quid ambigamus? ſcitum eſt, olea magis elaborata, aut aërea non oſſa tantùm, ſed & marmora, & vitra penetrare. Quanto faciliùs id ſpiritus poterit, ſubtilitatis, & vehementiæ pari vi, viam ipſe ſibi reſerans.

XXI. Oſtenſo ergo, *Patrem Affectam primariam* eſſe quamcunque generationi flatuum aptam: *ſecundariam* totius corporis compagem, veniamus ad *Originis Flatulenta* inveſtigationem, quæ ſanè ſcopulis eſt refertiſſima, adeò ut primâ fronte cauſas etiam contrarias eundem plane effectum producere ſentias.

Αἰτιολογία.

Nos melioris ordinis & perſpicuitatis gratia unâ atque alterâ διχοτομία, partem αἰτιολογικὸν enucleare conabimur, adſtruendo, cauſas Flatus Furioſi eſſe

1. Diſtinctio.

XXII. 1. *Remotas & Genericas* vel *Propinquas & Specificas*. Ex illarum quidem cenſu eſſe poſſunt, quæcunque ad flatuum generationem quoquo modo faciunt, eos augent, vel movent. Neque enim ut producatut Flatus Ambulativus generatio Ventoſitatis

tatis ſufficit, ſed motus eam inſeparabiliter comitatur, isque periodicus. Unde pro horum trium enuclatione cauſarum triplex genus exſurget, ac inde propria ejus origo patefiet: quæque ſeparata genericè, eadem jam collecta, ſpecificè de propoſito noſtro concludent.

XXIII. *Flatus* ipſe producitur vi caloris proportionati, ex minera humida. *Proportionatum* dicimus *calorem*, reſpectu ſcil. habito ad humiditatis conſtitutionem. Ita Galenus *a* flatuum cauſam efficientem ſtatuit calorem imbecillem, agentem in humidum nec vincentem. Qui enim humidi patientis proportionem excedit, uno id impetu conſumit, qui deficit, ad actionem ineptus eſt. Præterea fortem quoque calorem magnas, imò maximas ventoſitates ciere, modò humidum quoque idoneum nanciſcatur exemplo ſunt Æolipilæ formidabiles. Nonnihil negotij faceſſere videtur Hippocratis *b* ſententia, quæ aſſerit, Ventos omnes ſpirare à nive, glacie, fluminibus, ſtagnis. terrâ, refrigeratis & humidis, ſive ſummatim, à cauſa frigida; cumque eaſdem ferè eſſe ventorum mundi, & flatuum corporis noſtri cauſas videatur, frigus potiùs ex mente Hippocratis, quàm calor ventoſitatum cauſa erit. Reſp. minimè Hippocratem adverſari noſtræ ſententiæ; cauſam enim ille ponit remotam & antecedentem, loca congelata, quæ, cum à Sole incaleſcunt, in vapores multos diffluunt, perinde ut congelati quaſi humores in corpore, ſuperveniente calore, in plurimũ vaporem, & exhalationem abeunt, tantoq; fortiorem, quo caloris cum frigore lucta major præceſſerit.

a *Gal.* 3. *de ſympt. cauſ. c.* 2.

b *Hipp. l.* 2. *de Victus ratione.*

XXIV. Cæterùm ad *Motum* ejusque cauſas accedamus; Eleganter Seneca: *c* idem intereſt, inquit, inter ventum & aërem, quod inter fluvium & lacum. Fluvius, undam urgente undâ movetur; Lacus æqueli ſuo pondere fixus quieſcit, Idem tamen, aquis creſcentibus, utique qua data porta ruit. Quid non fit in corporibus noſtris? Quieſcunt partes aëreæ, quamdiu juſtâ ſuâ proportione gaudent, moventur autem, 1. Superveniente *generatione novorum flatuum*, multus enim aër, notanter dicente Hippocrate, fluctus fortes facit, i. e. flatu flatui incumbente, furioſo impetu in partes quascunque licentiosè debacchantur, Accedente maximè & 2. *loci anguſtiá* vel *perſpirationis prohibitione*, nam:

Terra *d* ſuperna tremit, magnis concuſſa ruinis,
Atque cadunt toti montes, magnoque repente
Concuſſu, latè diſcerpunt inde tremores,
Subter ubi ingentes ſpeluncas ſubruit aura.

c *Senec. Qu. Nat. l.* 5. *c.* 6.

d *Lucret. l.* 6.

Haud aliter flatus corpore concluſus, hinc inde diſcurrendo impingit, impingendo reſilit, ſicque ſubinde magis agitatus & irritatus, miſerabiles ſanè ægros ingenti cruciatu torquet, Nulla *a* vis eum cohibet nullæ tenent compages, ſolvit indomita Naturæ potentia quæcunque vincula, ſpiritus enim invicta res eſt. Qui hoc ad ſenſum ſibi oſtendi velit, ſclopeta Æolia conſideret, &, quantâ vi aër coarctatus cum libertatem ſentit, erumpat, experiatur. Accedit autem 3. *Agitatio.* Non raro evenit, ut in magno Magnæ Matris paroxyſmo, ſentiamus

a *Sen. Qu. Natur. l. 6. c. 18.*

Sub *b* pedibus mugire ſolum, & juga celſa moveri,

b *Virg. 6. Æneid.*

calore & ignibus ſubterraneis aërem incluſum urgentibus. Quam triſte verò ſit hoc Meteoron humano corpori calefacto vel à contactu cal. vel exercitio, vel putredine, vel medicamine imprudenter adhibito, teſtes extant experti non pauci, quos tanta ſævitia exagitat, ut periiſſe malint. 4. Plurimùm facit *flatuum attenuatio*, tum ad motum, tum ad penetrationem. Quantum ſive condenſatione, ſive rarefactione ſua ſpatium occupationis variet aëreum corpus, eleganter, & utiliter docuit *Hermoſcopio* ſuo Rob. *c* Fludd è Fluctibus.

c *Rob. Fludd à Fluct. Phil. Moſaic. paſſim.*

XXV. Quod ad *Acceſsiones*, ſeu *exacerbationes* periodicas Flatus Ambulativi attinet, eæ tali modo ſuccedunt. Diximus in hoc malo, fomitem ſeu mineram flatulentam in ipſa natura adeò eſſe firmatam, ut ſubinde alios aliis flatibus adjungat. His ergo congeſtis, & auctis, aut ſuâ vi erumpunt, ac exitum quærunt, aut Naturâ eorum moleſtiâ ſtimulatâ expulſionem tentante: quo evenit, ut tamdiu per membra vagentur, donec (quod in articulis frequens eſt) unâ aliquâ parte hæreant, ex qua paulatina tranſpiratione cedunt. Sic ſemel exoneratâ cryptâ Æoliâ aliquo tempore quieſcit impetus, donec novos ſpiritus congeſſerit, novi paroxyſmi materia futuros.

Habemus ita generice cauſas *Flatus*, ejus *Motus*, & *Periodi*, quæ ſingulæ cum convenerint in unum, efficiunt Flatum Ambulatorium.

2. Diſtinctio.

XXVI. Secunda cauſarum diſtinctio eſto inter *Externas* & *Internas*, *Internæ* cauſæ rurſum ſunt vel *Congenitæ*, vel *Acquiſitæ*. Mineram flatulentam qui ſemel radicatam habuit, aut nunquam, aut difficulter eam excutiet. Connaſcitur autem ea vel in ſuo actu, vel in potentia, non ſecus, ac qui Parentum aliquo vitio naſcitur calculoſus, Epilepticus, &c. Ita affectos differre parum à manumittendis, cenſentur à prudenti Medico. Eſt tamen & alia cauſa *Interna*,

terna, quam *Acquiſitam* diximus. Humores ſcil. pravi, fæculenti, pigri, lenti, melancholici, pituitoſi: in hos ſi calor inciderit, idem facit, quod alembicus fæcibus repletus, & foco excalefactus.

XXVII. Cæterùm non ex Cauſis *Poſitivis* tantùm, ſed & *Privativis* Ambulatorius hic Tortor naſcitur, calore videlicet Naturali vim patiente. Flatus enim generantur ex cruditate, cruditas fit propter concoctricis debilitatem, hæc verò ob caloris nativi imbecillitatem. Ut enim Hippocrates *a* in diuturnis lævitatibus inteſtinorum, ructum acidum, qui ptiùs non extiterit, bonum ſignum eſſe pronunciat, quod Naturam paulatim reſurgentem, & calore ſuo concoctricem tentantem ſignificat: ita idem Naturalis calor, aut aliud agens *b* aut oppreſſus, flatibus locum dare ſolet. Et hinc celeberrimus Crato *c* inter primarias flatulentiæ cauſas refert animi, cordis & cerebri labores immodicos, lectiones, & auſcultationes profundas, quib. exhauriuntur Spiritus, & Natura Genio ſuo defraudatur variè.

a *Hipp. Aph.* 1. 5. 6.

b *Scal. Exerc.* 25. *Sect.* 2.

c *I. Crat. ap. Scholz. Conſ. Med.* 118.

XXVIII. *Externæ* cauſæ complures eſſe poſſunt, eæque non tantum Naturam bene agentem impedientes, ſed & materiam flatuoſam ſuppeditantes. Vulgus hominum ab incantamentis profectum ſuſpicatur, aſſerente *d* Sennerto, ac certa animalcula, *murium* vel *glirium* inſtar, ſub cute decurrere credens, inde (quod etiam ſup. diximus) die Ratten appellat noſtrum Adverſarium, errore non abſimili illi quem recenſet Joh. Langius, *e* cum quidam, inquit, inflatione muſculorum temporalium, frontis, & genarum laboraret, ac circumſtantes id animadverterent, vitalem ſpiritum omnem eò confluxiſſe clamabant. Extractus eſt juſſu Medici ſanguis, cumque & ipſe grumeſcens (ut ſolet) palpitaret, novo terrore, de vita cum ſanguine elapſa occupati, ægrum, ut, quod ſanguinis extractum erat, reſorberet cogebant. Hominum inertiam! Nimirum, aut Mors eſt, aut Vita, quicquid ſub cute tremulum videt obſtipâ fronte Silicernium! Faceſſent aniles fabulæ.

d *Sen. de Arthrit. Quæſt.* 6.

e *Lang. Epiſt.* 8.

XXIX. Novimus ex Italis & Germanis, qui aſſumto medicamento violento, vel intempeſtivo, in ſummam debilitatem, indeq; hoc ipſum malum flatuoſum inciderint. Albucaſis *f* Mulierem Sole & laboribus exhauſtam perinde laborare cœpiſſe ait. Idem cauſatur vel generando, vel fovendo, victus pravus, viſcoſus, crudus, immaturus, maximè legumina, fabæ, piſa, cereviſia malè cocta. Supra allegatus Crato eodem loco, ciborum varietatem cauſam crudida-

f *Albuc. loco. ſup. alleg.*

tum, has verò proprium flatuum principium adſtruit, nec minùs potum frigidum, jejuno præcipuè ſtomacho hauſtum, quin & vaſa ærea, quibus cibi coquuntur, ob eandem rationem urgenter admodum prohibet.

XXX. Sed nec Aſtrorum operatio hic prætereunda: præterquam enim, quod ea macrocoſmicis turbinibus, & ventis ciendis magna cauſa ſunt, id ipſum quoque in parvo Mundo operantur, *a* imprimis ex Planetis, Ventorum & flatuum Pater ☿, nec non ☾, Ortus Herculis, ♈, ♉, caudæ ♏, ☌ ♄ ☿, imprimis oriente Arcturo, ☉ in ♓, □ ♃ ♂ in ſignis aëreis ♊ ♎, ♃ vel ☾ in ♈ & ♏. Item ☌ ☾ ☿, ☌ ☿ ☊ quæ colicam flatulentam, tympanitidem, & nullum non malum flatuoſum mortalibus minatur, quod attentiùs obſervantium nemo ignorat.

a *David. Orig. Inſtit. Aſtr. l. 3. c. 4. 5. 6. 13. & c. Conimbric. in Meteor. Ariſt. tr. 6. c. 1.*

3. Diſtinctio.

XXXI. Accedimus ad tertiam cauſarum differentiam, quæ eſt inter *Violentam magis* vel *minus*.

Saxo malè pendulo, ſæpe exigui lapidis excuſſio, ingentis ruinæ cauſa eſt: ſic flatulentia incluſa, modico ſtimulo perfunctoriè Occurrente impulſa, maximo ſæpe impetu erumpit, haud aliter, ac exigui pulveris diſſeminationem pervolans ſcintilla ignipes, ac *Minaces cuniculos* ſubiens, toto jam Vulcano furit, & quamcunque molem immaniſſimam diripit, rictuque igniovomo in vicinam expuit.

Triſtes ejusmodi cuniculos infelici me Hercle experientia ſenſit *b* Ludovicus quidam Nicolinus, cui cum flatus intenſior modò Ventriculum, mox pectus &c. miſere & pertinaciter arietaſſet, tertiâ tandem die vitale fulgur plane excuſſit.

b *Ioh. Beniven. l. 1. de abd. morb. cauſ. c. 81.*

XXXII. *Cauſarum* verò *violentiſſima* eſt quæ à veneno proceſſit. Et copiâ enim, & celeritate, & acutie, & malignitate ſimul invadit: unde aut necem præſentaneam, aut vix curabiles inſultus prædicere oportet. Exemplum vidimus notatu, ob ſymptomatum varietatem, digniſſimum, in quodam Lacus Benaci Accola, ab aliquot Annis malum tam *Inſanum* (ut vocabat) paſſo.

XXXIII. *Non parum ſævitiæ* quoque habet à Medicamenti violentia excitatus Ambulo, tantoque magis, quo præter hujus illationem, robotis naturalis inſignem detractionem accidiſſe denotat.

XXXIV. *Minoris momenti* eſſe ſolet malum hoc, pituitoſum, vel melancholicum humorem ſuſtentaculi loco habens: longiùs tamen duraturum, ſi cum obſtructionibus altis, ſi in Muliere aut

ſene

ſene contingat, quod tum Natura vel mole, vel ſexus, aut annorum infirmitate oppreſſa, malo ejusmodi minùs reſiſtere valeat.

XXXV. *Augetur* non minûs, vel *minuitur* Flatûs ferocia pro fomitis morboſi quantitate, ſive generantis, ſive foventis. Sic pejùs habet quos Cacochimicos invaſerit, quos Naturâ Hypochondriacos invenerit, quorum viſcera continuis cruditatibus, aut imbecillitate occupata compererit, crapulis, vitæque otioſæ deditos &c.

XXXVI. *Benignam* denique, vel *Malignam* cauſam videamus: nam hoc ſummus Medicinæ Dictator imperat, *a* Ἐκμανθάνειν χρὴ ἔτι θεῖον ἔνεσιν ἐν τῆσι νούσῃσι. Guido Cauliacus *b* hunc flatum, tanquam mali moris, curavit Theriacâ, & Alexipharmacis. Cæterum ut minime improbamus ea, ſi adhibeantur ſuo modo & tempore, ita eradicando huic malo adæquata eſſe ſemper, non admittimus. In *malignarum cauſarum* titulum referimus, ſi ab ictu Scorpij, à morſu Phalangij, aliorumve animalium venenatorum noxâ, ab hauſto toxico, & ſimilibus æger aliquid paſſus ſit. Nec minus, ſi ab humoribus, qui malignitatem contraxerint oriundus ſit.

4. Diſtinctio.
a *Hipp. l.* 1. *prognoſt.*
b *Guido Caul. de Apoſtem. Venatos. tr.* 2. *Pet. à Caſt. Ign. Lamb. l.* 1. *c.* 6.

XXXVII. Minimè à veritate alienum eſſe videtur, admirabile illud morbi Prodigium, *Tarantiſmum* (quem Calaber. horriſons ſuo: *Stu pettu è fattu Cimbalu d'Amuri*, &c. incantare ſolet) de flatu aliquo Ambulativo participare, cum eoque complicari. Prætterquam enim, quod eum minimè ex cacochimia originem, aut ſuſtentaculum habere, ſed peculiarem tantùm ſpirituum agitationem eſſe in propatulo eſt, ſigna utique, à ſymptomatibus deſumta, flatulentiam produnt. Ita quam plurimi, urgente Paroxyſmo illo ſtupendo, patiuntur vertigines, in ſomnos profundos incidunt, ſpaſmo, colicâ flatulentâ, tuſſi ſiccâ, horripilatione, priapiſmo vexantur, ventoſitatum affectionibus propriis. Addi poſſent plura, quâ ratione flatuum obambulationes per corpus, muſculos, nervos, tendines, convellendo, vel titillando, diverſos vel ſaltus, vel jactationes, alioſque geſtus excitent, quibus, ut quotidianis, obſervatis, in latentiora ſymptomata aditus pareret: De quibus ut de aliis quamplurimis mirabili acumine ſcripſit *c* Athanaſius Kircherus S. I. videatur etiam *d* Epiphan. Ferdinandus. Nos ad noſtra revertimur.

XXXVIII. *Benigniores cauſæ* ſunt: ex Venarum Meſaraicarum obſtructione, menſium ſuppreſſione, viſcerum debilitatione, ventriculi maxime cruditate, victu pravo, cæteriſque rebus non naturali-

c *Athan. Kirch. de Magnet. l.* 3. *p.* 8. *c.* 8. *& ſeqq.*
d *Epiph. Ferdin. Conſil. Med. Titulo proprie.*

turalibus malè uſurpatis. Humores acres non ventoſitatem, ſed vaporem excitare cenſet Avicenna, *a* adſtipulante forſan & Hippocrate, qui Auriginoſos parum flatulentos eſſe præter vulgarem experientiam pronunciavit. Cæterùm ſentiendum eſt, bilem, ut cauſam efficientem concurrere poſſe, ſimul ac deſtruentem. Efficit flatus, cum vel copiâ, vel ardore nimio humores craſſos in vapores reſolvit: eoſdem autem rurſus diſſipat, cum magis magiſque attenuat, ac ad tranſpirationem idoneos facit, quæ quidem evacuatio maximè propria & ſalutaris eſt his qui Anemios morbos, ut Hippocrati dicuntur, patiuntur.

a Avic. l. 3. fen. 1. tr. 2. cap. 5.

Symptomata.

XXXIX. Modò deinceps quæ de *Symptomatibus.* Hæc καὶ ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον in ſignorum quoque titulos tranſire poſſunt. Mira autem eorum ſit varietas neceſſe eſt, cum non tantum Flatui nobis tractando ferè quivis affectùs ſit ſociabilis, ſed & illius per totum corpus evagatio, ſecundum ſubjectorum varietatem, non poſſit non procreare infinitum quaſi malorum ſuccedaneorum numerum. Nos, quæ præſens ſuggerit meditatio allaturi, accidentia illa, prout ſunt vel Cauſæ, vel Morbi, vel Symptomatis, conſiderabimus, & tandem, quid Pars affecta varietatis inferat, diſquiremus breviſſimè.

1. Sympt. Cauſæ.

Hier. Fabric. Aquap. Chirurg. c. 10.

XL. *Flatus à malignitate Cauſæ*, ſymptomata habent graviſſima, diverſiſſima, ſubitanea, anxietates magnas, & dolores acutos. Fiunt Apoplexiæ, Epilepſiæ, Delyria, Comata, Suffocationes, Syncopes, Cardialgiæ &c. hæc in Flatu Furioſo accidunt invaſionis ferè tempore. Immo exitioſa eſt hæc ſpecies, & durationis exiguæ, niſi tempeſtivè admodum & cordatè ei opponantur antidota. Si benignior cauſa ſit, leviora urgent Sympromata, & morbum faciunt Chronicum, ſæpenumero Annis multis vix terminandum. Violentiam Cauſæ ſequitur violentia Symptomatum, tenſio, punctura, ſucuſſio, inquietudo, illâque remittente ſponte ſopiuntur.

2. SymPt. Morbi.

XLI. *Morbi Symptomata* individua quaſi ſunt, tumor, rigor, palpitatio, & ſudor. Illi quidem concomitantur, hic ſequitur invaſionem. Sic deſcribitur à Cl. Pet. à Caſtro in Collect. Med. Luſitanus quidem, qui cum Hypochondriacus eſſet, & furioſæ flatulentiæ obnoxius, poſtquam oberrantem, modò à pollice ad oculum, modò à collo ad inguina, rurſus ad linguam, plantas pedum, nares &c. paſſus eſſet Inquilinum iſtum, horâ eâdem, deſtinatis diebus ſudare incipiebat, à medio corporis ad extrema usque, & hoc, licet loco frigido,

gido; etiam nudus decumberet. Narrabat alius, in acceſſione mali ſemper ſe capitis aliquo dolore, & gravedine, nonnunquam levi delyrio, aut ſtupiditate ſaltem corripi, mox ventriculo dolere, unde tanquam ſclopeto excuſſus globus erumpat, omnia membra perreptet, cum titillationis potiùs, quam doloris ſenſu. Tandem eum articulo aliquo figi & ſuperveniente ſudore ſolvi, vel minui.

Febricula, aut ejus potius phantaſma, exercet hos, qui calidioris Naturæ flatum patiuntur, lenta tamen, niſi cauſæ aliqua malignitas aſſocietur. Comitantur etiam hoc malum laſſitudo, anxietas, triſtitia, vertigo & quæ tamen omnia in tantâ cauſarum varietate, & ipſius hujus Protei Metamorphoſi infinitâ, nec certò aſſignari, nec ſatis enumerari queunt.

XLII. Tumorem, tanquam Unitatis ſolutionem, ſequitur dolor ut *Symptomatis Symptoma*, non tamen ſemper, nec eodem gradu. Notabilis eſt Beniveni*j* *a* Obſervatio de Puero 16. Annorum, cui ventriculi cervix ſine dolore omni elevabatur, adeò, ut oſſa (verba ſunt Authoris) figuram talem adepta, tanquam Naturalem cuſtodirent, non extante alia cauſa præter flatum. Non minus ſibi occurriſſe in Textore quodam Tragnuolo aſſerit Marcellus *b* Donatus, cui pubes tumore maximo absque doloris ſenſu elevabatur, à ſolo flatu, qui poſtmodum diſcutientibus facillimè ceſſit. Notandum autem, hanc ſolutionem continui eſſe indolentem, vel quod à corpore vaporoſo fiat, ubi pars tenſa ab halitu pingui ita obtunditur, ut dolorem non ſentiat; vel quod adeò lentè impingatur, ut temporis intervallum ſenſus fallat, laxatæque partes quaſi ſponte in ἐμφύσιμα tumidum exſurgant.

3. Sympt. Symptomatis.

a *Iob. Beni. ven. de abdit. Morb. Cauſ.*

b *Marcell. Donat. de Hiſt. Med. Mirab. l. 1. c. 6.*

XLIII. Fit autem tumor vel major, cum impactus parti alicui Vertagus ille eniti non poteſt, ſicque unitus fortiùs urget, vel minor, cum idem latè diſcurrens loca invenit perſpirabilia. Sic furens flatus in cavernoſis terræ viſceribus, modo τρόμον, juxta Philoſophum, ſeu tremorem infert, & palpitationem, quæ in affectu nobis propoſito ſub initium maximè obſervatur. Modò σφυγμῷ & impulſu undique elevatur pari impetu terræ ſuperficies: hoc in corporis extremitatibus maximè efficit noſter Palindromus, cum, Arietis inſtar, iterato impetu fruſtra molitur exitum. Aliquando ἔγκλισιν, ab illo Tenebrione in obſcuriſſimo antrorum Hypogæo excitatam, imitatur vagabundus καικίζηλος, partes viciniores Euripi inſtar alternatim ſuſtollens. Hinc non ſemper tumorem cauſatur notabilem,

& ad

& ad ſenſum apparentem, ſed aliquando latè ſparſum, aliquando altè in viſcera reconditum, manuum oculorumque ſenſibus eripit.

4. Sympt. Parti Affecta porpria.

XLIV. Differentiæ Symptomatum quam plurimæ & inſignes ab *Affecto loco* capiuntur. Si enim Flatus in caput irruat, affectus modo ſoporoſos, modo convulſivos, modo melancholicos, maximè tamen Vertiginem, Tetanũ & Cæphalalgiam, infert. Ejusmodi ventoſitatibus frequenter JCtus quidam Bayonenſis vexatus, tandem in Epilepſiam flatuoſam incidit, qui mox erubeſcebat, mox pallebat rurſum, inter erubeſcendum verò voce privabatur. Ex quâ eâdem Epilepſiâ flatulentâ etiam aliquando minime ridendus *Riſus* ille *Sardonius* naſcitur. In collum illapſus anginas ſpurias relinquit. In pectore Aſthmata graviſſima, Pleuritides nothas: In corde Palpitationes violentiſſimas, Syncopes etiam lethales. Ventriculo peculiariter infenſus eſt, ubi durantiſſimos vomitus, cardiogmos, apepſiam cauſatur. In Inteſtinis & cavitate Abdominis tormina, volvulos, dolores colicos mentitur. In Utero non minùs quam ullâ aliquâ parte ſtabulari ſolet, ubi paſſiones Hyſtericas, menſiumque defectus, comprimendo venarum oſcula efficit. Quin & dolores *a* partus mirificè exprimit, fœtus motum, uteri tenſiones & expultricis quandam irritationem præ ſe ferens, quod tamen de aliis etiam flatibus obſervatum eſt non ſemel. Hypochondria tanquam proprium domicilium incolit, indeque varia mala emittit. In lumbis Nephritidem, in articulis Arthritidem. Per totum corpus tumores, tenſiones, puncturas ſuſcitat. Maximum verò negotium in venis & arteriis faceſſit. Illas enim aliquando arteriarum inſtar pulſare ſentias, in his adeo confundi pulſus, ut ex ijs de nulla re omino judicium capi queat.

a *Ioh. Fien. de flatib. Comm. cap.* 10.

Σημειωτική.

1. Διαγνωστικῶν.

XLV. Quid ergo de *Simeiotica*? In ea Primò quidem attendere oportet, ne pro una ſpecie accipiatur altera. Plurimùm enim diffunditur ventoſitatis titulus, maximè ſi Antiquos Authores reſpicias, quibus adeò fuit lata flatuum acceptio, ut Avicennæ *b* Contemporaneis tumor & inflatio pro Synonymis habita ſint. Quibusdam Oedematis loco fuit: Petrus *c* ab Argillata de ventoſite alba diſſerit. Unde vulgus noſtrum etiam tumorem quemcunque Auffgeblaſen appellat, quibus Itali adhærent frequenti loquendi modo: *che la ferita pigli di vento*, quod vulnus ſit inflatum i. e. tumidum.

b *M. Aur. Sever. de recond. Abſceſſ. Nat. tr.* 5. *c.* 1.

c *Pet. ab Arg. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 8.

Cum etiam omnem flatum ſuâ Naturâ eſſe inconſtantem vagabundum

bundum & ambulativum palam ſit, & ſigna habere Aſſidentia (ut Fernelio *a* dicuntur) ructus, rugitus, tinnitus aurium, ventris flatus, palpitationes partium, inſomnia rei celeris & volantis, cum tonitru & tempeſtate: attendendum & hoc loco, ne pro hac ſpecie diverſa accipiatur.

a *Fernel. Patbol. l. 2. c. 19.*

XLVI. Sed & alij affectus non parum cum hoc ſimilitudinis habent. Talis eſt Italorum *b Grampa* vel *Gramſo*, Gallorum *Goute Grampe*, Indiæ etiam Urinatoribus Principibus peculiariter timenda, qui pro ea cavenda annulos certos Talesmanicos, quos *c Tambak* appellant, ex Electro putiſſimo & nativo factos, manibus pedibusque circumferunt. Affinis etiam huic Turboni eſt Hiſpanorum *Calambre*, ſive fugax muſculorum inflatio, paucis obſervata. *Arthritis flatuoſa, d* Authoribus eſt frequentata, & ipſa vagabunda admodum. Aliquando à vapore levi excitatur tumor ſubcutaneus, Arabibus *e Althebek* dictus, à malo corporis habitu oriundus, & aſſimilatur tumori oculorum recens è ſomno evigilantis, motu tamen pigrior eſt noſtro.

b *Sennert. Prax. l. 1. p. 2. c. 28.*
c *Pet. à Caſt. Ign. Lamb. l. 1. cap. 5.*
d *Sennert. de Arthrit. Quæſt. 6.*
e *Hier. Fabr. ab Aquap. Chirurg. l. 1. c. 10.*

XLVII. Præterea non pauci ſunt tumores, partim erraticum, partim flatulentum quiddam, aut utrumque præ ſe ferentes, ut ſunt *Ægritudo Ovina, Bovina, Talpa Topinaria, Apoſtemata Ventoſa* &c. de quibus videantur Authores. *f* Quinimo flatus imitantur humores ſpiritoſi & ſubtiles, bilioſi, eryſipelatoſi, exanthemata ſanguinea ſubtiliora, unde der Flug/ die fliegende hitzen/ quo loco generica flatuum Diagnoſtica ſufficiunt.

f *Idem. Appēd. l. 1. Guido Caul. de Apoſtem. Ventoſ. Steph. Rad. à Caſt. de Meteor. Microcoſ. Ioh. Fien. de Flatib. Marc. Donat. de Med. mirab.*

XLVIII. Talia ſunt: Urinæ crudæ & confuſæ, maximè ſi malum radicetur in ventriculo: pulſus modo duri, modo celeres, intercepti, inæquales, ad tactum facilè cedentes, quæ omnia, niſi accuratiſſime obſerventur, admodum fallere poſſunt, ita monente Peritiſſimo Sanctacruzio. *g* Sæpe enim pulſus apparent validi, cum flatu plenæ ſunt arteriæ, & ſpeciem roboris præ ſe ferunt, modicâ tamen evacuatione ſtatim concidunt. Imò putabis pulſum oppreſſum eſſe mole humorum, quando cedit aliquantulum, cum tamen flatus in cauſa ſit. Quamobrem obſecrat & adjurat modò ante allegatus Author *h* Practicum unumquemque Novitium, cum pulſus dignotio, in ventoſis maximè affectibus, adeò ſit difficilis, ex ea tamen ſive ſalus, ſive mors præſentanea ſequi poſſit, ut attentè ſimul animum applicet ad ſigna ex actionibus Naturalibus, bona concoctione, vacuationibus ſolitis, eruenda.

g *Ant. Pōc. Sanctacr. de Imped. magnor. Aux. l. 1. cap. 3.*
h *Ibid. c. ſeq.*

 49. De-

XLIX. Denique *Diagnoſticorum ſummus ſcopus eſto,* ne quod lædit remotè, aut accidentaliter, teneatur, tanquam quod proxime, & primò nocet. Ne ſcilicet ſymptomata debellentur potiùs, ne morbi major quam cauſarum habeatur ratio, indeque confuſio remediorum periculoſa nimis ſequatur: quod tantò fiet expeditius, ſi

2. Παθογνωμονικῶν. L. *Pathognomonicorum* ratio habeatur attenta. Ea autem ſunt, 1. Flatulentiæ manifeſta præſentia. 2. Velox & erronea penetratio Corporis humani, vel totius, vel ſaltem plerarumque partium. 3. Exaſperatio & remiſſio Periodica, ſive ea fiat determinatis temporibus, & accurata, ſive erratica. De his omnibus, cum in Phyſiologicis ageremus, diſſeruimus, plura ergo hic addere nihil attinet.

3. Προγνωστικῶν. LI. *Prognoſis* duos complectitur titulos. 1. *De ſtatu morbi fientis:* 2. *de Morbi facti eventu futuro.* Etſi autem maxima morborum pars ita ingruere ſoleat, ut de illis plane nulla, aut adeò exigua, ut vix obſerventur, præſagia haberi doſſint: vix tamen à certitudine prædicendi aberrabit, qui cauſas mali, ſive fieri, ſive factas eſſe accuratè animadvertet. Ne ergo & hîc idem bis ſupervacuâ operâ aſſuamus, ad Ætiologiæ titulum præmiſſum ſententiam referimus, quicquid de Prognoſtico imminentis mali tenendum eſt, inde judicamus, ac poſitis cauſis neceſſarijs ſufficientibus, nec impeditis, ſponte ſuâ ſecuturum effectum prædicimus.

a *Ad Pathol. Fernel. Appēd. Magir. c. 2.* LII. De *Morbi Eventu* judicaturus, *a* duo conſideratu neceſſaria habet: *AEgri vires*, & *Morbi robur*. *Vires* ex corporis conſtitutione, & functionum promptitudine colliguntur. Unde, (cum unumquodque agens agere ſecundum receptivitatem patientis inter Philoſophos antiquum ſit,) ſi corporis conſtitutio, & temperatura flatuoſa ſit, non parum periculi ab hoc Graſſatore imminere, prædicendum eſt, ac morbum, præcipuè in corpore debili, aut lethalem aut longum, futurum. Deinde, ut Natura bene conſtituta nunquam eſt otioſa, ita, cum vel non agit quod debet, vel male agit, & ſegniter, eam ſane pati aut impediri certum eſt.

LIII. *Morbo robur conciliant* 1. Symptomatum numerus, & gravitas. 2. partis affectæ præſtantia & infirmitas. 3. duratio, quæ eodem tempore & Naturæ detrahit, & malo apponit non negligendum momentum. Veriſſimè Joachimus *b* Baudiſius concludit: Nullus Medicus ea cito ſanat, quæ Natura longo tempore amiſit, nec per ſe ſanare poteſt.

b *Scholz. Conſ. Med.* 119.

54. Quid

LIV. Quid ergo Conſilij? Prima ægri vox eſſe ſolet: Quid faciam ut vivam?

Θεραπευτική.

Id non magis Medicus ab ægro, quam hic ab illo diſcat neceſſe eſt. *a* Ipſa *Morbi Cauſa* & origo, ipſe *Morbus*, ipſa *Virtus* oppreſſa, ſui annuletum ſponte indicant vel *Præſervativum*, vel *Curativum* vel *vitale*.

a *Sennerti Inſtit. l. 5. p. 2. S 1. c. 2.*

Medicinam Divinus Hippocrates *b* appellavit *Adjectionem* & *Detractionem*, Hippocraticè ſanè, h. e. accuratè & ſuccinctè.

b *Hipp. de Flatib.*

LV. Indicationum repoſitoria numeroſa Authoribus ſuis libenter relinquimus, ac cum Celeberrimo Sennerto *d* Tribus negotium complectimur. Dum nimirum imperat Medendi methodus ut primo in omni Indicatione, ſive ad conſervationem adijciendo, ſive ad extirpationem detrahendo nos accingamus. 2. conſervemus id quod eſt ſecundum Naturam, extirpemus quod præter Naturam. 3. conſervemus ſimilia ſimilibus, extirpemus contraria contrarijs: *Materiam* autem *auxilij* utriusque, ex triplici illo Medicorum Gazophilacio depromemus, ex *Pharmacia* nimirum, *Chirurgia*, & *Diæta*.

Indicationes.

c *Heurn. Inſt. Med. l. 11. c. 5. & Meth. l. 3. cap. 2.*

d *Sennert. Inſtit. l. 2. p. 2. S. 1. c. 1.*

LVI. In *Pharmaceutico* regimine *Salus publica ſuprema lex eſto*, hoc eſt: Calor Nativus in ſuo vigore conſervetur.

1. Φαρμακευτική.

Flatus enim furioſus ex quacunque tandem cauſa ortus, à robore nativo valido & vegeto infringitur. Ut enim, quicquid moliaris, fruſtra es, ſuccumbente Natura, ſic eâ ſeſe adhuc utcunque exerente, nondum ſpes omnis decollavit. Præcipua tamen indicatio Naturæ roborandæ ſurgit, cum ab ejusdem detrimento ægritudo proceſſit. Cum nimirum à veneno hauſto aut ex evacuatione immodica, vel debilitatione facultatis maximè Naturalis illata eſt ambulativa ventoſitas.

1. Adjectio.

LVII. Præſtat ergo adhibere Theriacæ vel Mithridatij ʒj vel ʒß quotidie, aut alternis diebus, mane: Sal vel Magiſterium Viperarum, Bezoar Orient. vel quod ferè ſecuriùs occidentalem, tum ob roborantem tum diſcutientem Naturam. Externè prodeſt Unguentum Naphæ recens & odoratum.

LVIII. In ipſo Paroxyſmo non omnino tutum eſt valde fragrantia adhibere, ne ſpiritus jam ante inquietati vehementiùs agitentur. Subſtitui poſſunt aq. deſtillatæ Liliorum Convallium, ceraſor. nigr. Scorzanetæ, rutæ Caprar. Agendum & de revulſione, ſi quæ pars princeps læſa ſit. A ſolo enim ſpirituum, licet bene habentium concurſu opprimi, imo ſuffocari poſſe cor, manifeſtè apparet in his,

qui terrore inopinato in palpitationes cordis, aut mortem etiam repentinam incidunt.

LIX. Si Ventriculi debilitas ſentiatur, ei quoque ſuccurendum. Educenda cruditas, pituita lenta congeſta, unde flatuum ingens copia facilè oboritur, qui etiam orificio ejus impacti ſæpe ne cibus vel potus in ſtomachum penetrare poſſint impediunt. Utiliſſima hoc loco eſt *Confectio Braſilienſis Chocolate*, ſi haberi poſſit, aut ejus loco Hiſpanica legitima & pinguis. Maximi quoque uſus ſunt *baccæ Salviæ ex Inſula Creta* allatæ, Confectio Alkermes & Hiacynthi, vinum & aqua Abſynth. inunctiones & epithemata ex ol. Maſtich. Abſynth. cumin. aniſi. Si uterus malè affectus fuerit, roboretur is quoque ſuis ſpecificis, eademque teneatur obſervatio de quocunque alio loco affecto.

2. Detractio. LX. Taliter *obſervatâ adjectione deficientium*, poſtmodum etiam de *detractione ſuperfluorum* diſpiciendum eſt.

Non confertim urgendam eſſe flatuum tempeſtatem, prudenter conſulit *a* Steph. Rob. à Caſtro, ne, dum furit, antequam ſedatur perimat. De purgatione igitur nihil cogitandum, niſi bene præparato corpore & apertis primis viis. Et tum, quantum poſſibile eſt, advertendo, ne purgatio flatus nimium moveat, eorum minera leniter educatur, quod iteratis vicibus ſecuriùs fiet.

a Steph. Rob. à Caſt. de Met. Microc. l. 4. c. 11.

LXI. Si malum ſit enorme, & materia morbifica vel copioſa, vel altè radicata, evocetur flatus jam congeſtus & per corporis ambitum diffuſus ſudoribus, frictionibus, & inunctionibus & poſtmodum vacuari incipiatur, e. g. Pilulis de Hier, ſimpl. Aloetic. vel ex pulv. Hier. picr. ℈iiij cum croci vel caſtor. gr. ij & ſi dolor urgeat gr. totid. Opij. Niſi maligna vel venenata cauſa extiterit, habeatur ratio humoris ex quo ortus ſit flatus, isque educatur: animadvertendo ſemper, ut parti primùm læſæ appropriata admiſceantur.

LXII. Tempus magis idoneum purgationi eſt paulo poſt paroxyſmum: cum nimirum Natura magnâ materiæ moleſtæ copiâ jam ſublevata eſt, & corpus minus agitationi vicinum.

Alvo conſtipatâ, non tantùm flatibus erupturis via intercluditur, ſed & nova eis materia ſuppeditatur. Cumque (quod modò monuimus non ſemper purgandi locus ſit, Enemata & Clyſteres magnum hic uſum præſtant. Acribus, niſi certæ circumſtantiæ poſtulent, hic opus non eſt, ſufficiat decoctum ex herbis emollientibus malva, althea, branca Urſina, flor. chamæmel, melle roſ. ſol. ol. Chamæm. &c. cum elect. lenitivo vel de Hiera.

63. Car-

LXIII. Carminativa tum adhibeantur, cum flatus quieſcunt, & jam radicibus carent, aliâs enim frequenter dolores immodicos ciere ſolent. Tempore invaſionis & hoc attendendum, ut, ſi partem aliquam primariam occupaturi videantur flatus, ab illis ad ignobiliores & externas partes revellantur.

LXIV. Cumque obſervatum ſit in Ambulativo flatu, ejus paroxyſmos ſalubriter in ſudores terminari, indicio eſt, Naturæ commodiſſimam expulſionem videri eam, quæ fit tranſpiratione. Obſervabit ergo Naturæ Miniſter attentus, quid tum ſibi facto opus ſit, ſequetur criſin inchoatam, bene operiendo ægrum, &, ſi opus ſit, carminativa adminicula propinabit. Licet enim cæteris vacuandi modis non parum commodi efficiatur (ſunt qui compreſſo tantùm loco inflato, ructu ſeſe exonerent) cum tamen hic Ambulo per exteriores potiſſimùm partes cuniculos agere conſueverit; cumque per univerſum corpus diffuſus ſit; in aprico eſt, evacuationem univerſalem per membrorum exteriora requiri, ad ejus idoneam remotionem. Et quidem tranſpirationem, ut flatui; univerſalem, morbo ubique hærenti; per poros denique, ſubcutaneo, competere.

LXV. Videamus autem & alteram præſidiorum Claſſem quæ eſt *Chirurgica*, circa externa facienda occupata. 2. Χειρουργική.

Anemin Venæſectio: *a* univerſale eſt decretum Hippocrateum, minimè tamen univerſaliter accipiendum. Locum habet Venæſectio in Morbis Anemijs, ut appellantur Medico, *b* cum pſeudoturgentiâ quadam humores & ſanguis occupantur haud aliter, quàm ventis aut ſufflatu ſubterraneo Mare ac latioris alvei flumina. Venis enim apertis ſubito expirat quod moleſtum erat, modo id ſua cum prudentia fiat. Nam ſupra diximus, de pulſu à flatibus perturbato, quàm facile irrevocanda inde conſequantur pericula.

a *Hipp. Epidem.* 2. *S.* 5. *t.* 11.
b *Hipp. de flatib.*

LXVI. Sanè, venæſectionem in Senibus pulſum flatulentum habentibus lethalem eſſe, experientia comprobavit identidem, & confirmat Authoritas Hiſpanorum Medicorum ſummorum; Zacuti *c* & Sanctacrucij, *d* quorum hic etiam alijs duobus caſibus non convenire venæſectionem annotat. Cum 1. cauſa flatus eſt frigida, ubi potiùs coctionem, quod vacuationem ſuadet, 2. cum cruditatibus occupatus ventriculus, officium non facit. Neque tamen de omni cauſa frigida hoc intellectum vult, ſed excipit Menſtrua à Melancholicorum humorum craſſitudine retenta, Lienis vitia Melancholica, affectus quosdam pituitoſos & melancholicos, de quibus omni-

c *Zacut. Luſit. Obſ.* 55.
d *Ant. Poc. Sanctacr. de Imped. magn. Aux. l.* 1. *c.* 3. *th. l.* 3. *c.* 11.

omnibus eruditiſſimè ſcribens dignus eſt qui ſtudioſè legatur loco citato.

LXVII. In cauſa venenata perinde abſtinendum eſſe à Venæſectione jam monuimus, tum enim, detracto ſucco Naturæ familiariſſimo, ut paſſim Galeno dicitur, ea ſine dubio ſuccumbet. Fecit venæſectionis ardua conſideratio ut ad alia remedia Chirurgica animum appulerint Medici, quæ, ut genericè de quovis flatu ab ipſi obſervata ſunt, ita rectè etiam ad noſtrum propoſitum ſpecifice applicari poſſunt.

LXVIII. In venis Meſaraicis & Hæmorrhoidalibus maximè foveri ventoſas machinationes, præmiſimus. Cumque venæſectio non tantùm periculoſa, ſed & ad hunc fontem exhauriendum remota nimis ac inanis ſit, dum fæx ſanguinis ſuis angiportubus inexpugnabius hæret, melior verò pars non ſine magno ſpirituùm diſpendio, ac conſequenter morbi incremento detrahatur: perquam utiliter apertio venarum hæmorrhoidalium, admotis Hirudinibus ſuſcipitur, ſic enim ſanguis vitioſus evacuatur directè, ſalutaris verò ſuo loco relinquitur.

LXIX. Sanctus ſanctorius attrahit flatus è corpore, admovendo ano follem magnum, eumque poſtmodum dilatando: qui quidem curandi modus, ut non paucas patitur inſtantias, à nobis ſuo loco relinquitur. Certum eſt, attractionem, quæ fit cucurbitâ magnâ, cum multa flamma abſque ſcarificatione applicatâ non parum proficere, præſertim ſi locum antea fotu quodam ex oleo amygdal. dulc. ung. Naphæ vel vino calido perſpirabilem reddideris.

Albuc. l. 2. c. 39. LXX. Albucaſis præcipit, ut ſi pars aliqua Flatu Furioſo turgere videatur, ea ligetur confeſtim utrimque, poſtea cutis pungatur, vel ſecetur ſcalpello, & inuratur, auxilio, non tantum dolorifico, ſed & imperfecto. Ita enim minuitur morbus quidem, non tamen tollitur. Si ſanguinis fervor impellere flatus videatur, mitigetur ſcarificatione ſcapularum, lumborum vel Natium, hoc autem loco factas ſcarificationes, peculiariter toti corpori ſalutares eſſe, verè pronunciavit Sanctacruzius.

3. Διαιτητική. LXXI. Reſtat noſtri laboris pars ultima, ordine, non dignitate: *Diætetica*, quæ ſola aliquando curat, quod univerſa medicamentorum ſuppellex non cogere poterat. Hippocrates cum de febricitantium Victu præſcribendo laboraret, taliter concludit: Diæta humida omnibus febricitantibus eſt utilis, eſt enim meabilis, coctuque facilis,

facilis, nec alvum ſuperat, & æquè Naturæ ſtudet, ac cum morbo pugnat. Ad tria reſpiciendum eſſe monet: ut alimenta primò ſint boni ſucci & ſubſtantiæ. 2. Naturæ ægri ſtudeant. 3. Morbo adverſentur. Diſpiciamus, quæſo, quid pro arcendo importuno noſtro Circulatore, colligi inde poſſit.

LXXII. Principio *Cibos boni ſucci & ſubſtantiæ imperat.* Ab horum numero excludimus cruda quæcunque, ſive à Natura ſive ab arte imperfectè cocta ſint: flatulenta, ut legumina, raphanos, pultes, cibos viſcidos, panem adhuc calentem, piſces paluſtres, vina nova, aquas putres, ſtagnantes. Neque prætereundum eſt, alimenta, licet ſuapte Natura laudabilia, deteriora tamen fieri male adhibita, quod ut vitetur, obſervandus eſt 1. *Ordo*: ut nimirum liquida, laxantia, εὐπεπτα præcedant, minus talia ſequantur. Celeberrimus Crato multum culpæ tribuit in generatione flatuum potui frigido ab initio paſti hauſto, quod is non tantùm calorem Nativum opprimat, ſed & viſcerum debilitatem inducat, & ventriculum tum, quando calore maximè opus habet, immodicè refrigeret. Canon 1. Cibandi, *Reg.* 1.

LXXIII. 2. *Quantitas*: Natura enim gravata ſupra modum, cruditates haudquaquam evitare poteſt, ex quib. flatuum origo eſt. Omnium commodiſſimè paſcitur, qui ſic à tabula recedit, ut ordiri malit. 3. *Qualitas*: abſint cibi infumati, ſalſi. Sola frigiditas uſque adeo noxia eſt his, qui ad flatulentiam ſunt diſpoſiti, ut magna incommoda paſſos eſſe, qui diutiùs tantùm ſaxis frigidis inſediſſent, Authores teſtentur. Frigus nimirum conſtipando corporis poros, & evaporationes partim repellendo, partim incraſſando, præter alia mala plurima, hoc quoque excitat. *Reg.* 2. *Reg.* 3.

LXXIV. Hippocrates de ſiti extinguenda, (obſcurè licet ſatis, locutus, ſimul validè refrigerare: & flatum cavere velle videtur. *Sitim ſedans*, ait, *os claudere, tacere, ventum cum potu frigido introducere.* De Penali Poculo forſan Antiquorum *Amphiſcyphello* loqui videtur, quod etiamnum apud Hiſpanos in delitijs habetur, & *Taça Penada* illorum Idiomate appellatur. Pocula ſunt anguſtioris orificij & colli longioris, qualia apud nos hodie Carcheſia vel Bombylij, ita comparata, ut bibentibus negotium faceſſent, ſicque cum potu aërem ſimul rapiant. Ita ingeſtus aër flatibus ventriculi permiſcetur, eosque, ut fieri videmus, ſecum educit. *Hipp. Epidem. l. 6. Sect.3.t.29.*

LXXV. *Diæta Naturæ ſtudeat*, alterum eſt, quod Hippocrates ſupra imperavit. Sit nimirum victus medicamentoſus, quem vocant, Canon 2.

vocant, tum præſervativus, tum curativus. Præſervatio non tantùm ſpectat ad morbi præcautionem, ſed etiam ad ejus incrementi prohibitionem. Itaque hoc loco eligantur cibi calido Nativo & Facultatibus principalibus amici, vitentur cæteri.

LXXVI. Tanto autem accuratiùs hæc obſervanda ſunt, quanto in præſenti affectu, ut in omnibus alijs Chronicis & contumacibus, plerumque plus facit victus obſervata ratio, quam medicamentorum numerus. Cum enim morbi acuties minus urget, ſpatium obtinuimus blandè Naturæ occurrendi, eam ſublevandi, roborandi, ad expulſionem moleſti invitandi: quem, cum Natura arripuit ſtimulum, non tantùm de ſuo nihil amittit, quod in medicamentorum copia vitari non poteſt, ſed perfectiſſimè ipſa ſibi conſulit, & tutiſſime, & jucundiſſimè.

LXXVII. Materiam *a* autem flatuum optime vitant, qui ſimpliſſimo, immò unico cibo, qui quam minimè excrementoſus ſit, contenti vivunt. Plurimum enim ad cruditates generandas facit ciborum varietas. Dentur ergo ex condimentis ſemina aniſi, fœniculi, petroſelini, cumini, incocta pani triticeo aut carnibus inſpergantur. Laudantur granatorum fructus acidi, mala Citria, eorumque cortices conditi: carnes vitulorum, ovium, avicularum montanarum. Pro potu probatur vinum vetus, incorruptum, Enulatum, abſynthites, juniperinum, aut pro tenuioris fortunæ hominibus aqua, cum ſem. aniſi, zinziber. & galang. decocta. Cereviſia, niſi exquiſite admodum patata, flatu vix caret, vapores craſſos & copioſos vehit, nec pro ijs expellendis robur aut calorem adjunctum habet. Si tamen eâ uti videatur, juncta ſit cum hauſtu vini veteris.

a *Crato. Conſil.* 120.

LXXVIII. Denique *Morbo adverſum victum* Hippocratis ſententia poſtulat. Ad quod obſervandum, præter dicta omnia, noduli parari poſſunt ex ſummitatibus Hyſſopi, Thymi, abſynth. pontici. In obſtructionibus confert uſus capparum, in cæteris etiam ſemper circumſtantiarum & cauſarum maximè habeatur ratio. Spiritus vini generoſi cum ſaccharo & pane quotidie ſub diluculum ſumptus, juſcula cum granis piperis integris 6. vel 8. multum præſtant. Aromatum, aliorumque ſiccantium uſus frequentior Senibus non conceditur

Canon 3.

LXXIX. Compendio rem complectamur: *curandum eſt, ne ſis crudus*, (verba ſunt Cratonis *b*) & ne immodicis laboribus, præſertim cordis & cerebri, h.e. affectibus animi, lectionibus auſcultationib. immodicis ſpiritus exhaurias, nam non ſolùm cruditate, ſed etiam ſpirituum debilitate calor nativus affligitur & flatus generantur.

b *Crato ap. Scholz. Conſil. Med.* 118.

LXXX. Porro ad regimen bonæ valetudinis, tuendæ ad adverſæ corrigendæ attendere oportet, ut aër ſit purus, temperatus, calore nihil excedens, minimè verò frigidus. Vitentur ſomni longi, juvetur concoctio & traſpiratio exercitijs modicis in Iuvenibus, quiete in ſenibus, his enim exercitia calorem nativum diſſipant potiùs quam excitant.

Terminus eſto noſtri Propoſiti. Materia, quam, cum Scriptores tum Antiqui tum Moderni pauciſſimi & curſim tantùm attigerint, propterea in hac occaſione Solenni producere libuit, ut in re tam difficili & obſcura Virorum ſummi acuminis & eruditionis exquiſita ſententias colligeremus, quibus tum hæc, tum quæ præterea de eâdem materia ſparſim collegimus alia, (ſuo forſan tempore magis elaborata apparitura) vel correctionem, vel perfectionem pleniorem acquirerent.
Interim

Æquiſſime Lector,

Pagina noſtra Tibi *malè* ſi *conflata* videtur,
Parce iras: *Venti* hanc *vis Furioſa* rapit.

F I N I S.